


3.

DE IRA NOXA ATQUE EJUS UTILITATE EXERCITATIO PHISICO-MEDICA.

Cujus veritatem Deo duce & Auspice Dei-
parâ, propugnabit in Augustissimo Mons-
peliensis Apollinis fano , ab horâ octavâ
ad meridiem , die mensis Novembris
anni 1744. LAURENTIUS CLAVILLART
GERUNDENSIS APUD GOTOLAUNOS , Ar-
tium Liberalium Magister , jam dudum Me-
dicinæ Alumnus , & Universitatis Consi-
liarius.

Pro primâ Apollinari Laureâ consequendâ.



MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM ROCHARD , Regis & Universitatis
Typographum unicum. 1744.

R. R. D. D.

PROFESSORES REGII.

Illustrissimus D. D. FRANCISCUS CHICOYNEAU, Cancellarius & Judex, Regii à Secretioribus Consiliis, Archiatrum Comes.

DISPUTATURI.


- R. D. PETRUS RIDEUX, Decanus.
R. D. ANTONIUS MAGNOL.
R. D. HENRICUS HAGUENOT.
R. D. JACOBUS LAZERME.
R. D. GERALDUS FITZ-GERALD.
R. D. EUSTACHIUS MARCOT, Regis Medicus
perpetuò Ordinarius.
R. D. ANTONIUS FIZES.
R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

DOCTORES ORDINARII.

- | | |
|------------------------|---------------------------------|
| D. CLAUDIO CHAPTALE. | D. ANDREAS RECOULE. |
| D. CAROLUS SERANNE. | D. JOANNES ARLET. |
| D. FRANC. COMBALUSIER. | D. BERNARDUS CASAMAJOR LAPLACE. |
| D. PETRUS MAGNOL. | D. HONORATUS ISNARD. |
| D. THOMAS FITZMAURICE | D. FRANCISCUS RICHARD. |
| D. HONORATUS PETIOT. | D. P. - JAC. DAOUSTENC. |
| D. FRANCISCUS LAMURE. | D. JOAN.-BAP. MONTRESE. |
| D. JACOBUS FARJON. | |

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31903903_0002




NOBILITATE, GRAVITATE,
ET PRUDENTIA
PRÆCLARIS VIRIS D. D.
CONSULIBUS
ET SENATORIBUS
INCLITÆ CIVITATIS GERUNDÆ
PATRONISQUE
SUIS COLENDISSIMIS.

TANTA sunt vestra in me beneficia Consules Nobilissimi, ut gravem, eamque justissimam reprobationem subiturus sim, ni omnibus quibus possum modis gratum meum erga vos animum significem: atque hic me sensus inducit hodie ut primos hosce studiūmei partus in lucem producturus, eos vobis judicem esse consecrandos. Et sanè cuinam magis debeantur alicujus fructus arboris, quam iis qui arborem ipsam ex jejuno

Exili solo , in aliud pinguius ; ubi studiosius
colatur transferri curarunt. Ita prorsus mibi
vestrâ Beneficiâ contigit , Viri consultissimi ;
quando suffragio vestro in hanc Monspelliensem
Academiam fui delegatus ; vobisque proinde quid
quid in ea emolumenti percepturus sum ; quid
quid deinceps in communem concivium meorum
utilitatem repensurus , vobis inquam totum id
acceptum refferri debet : neque vero collatis tan-
tum in me Beneficiis movear , ut hos primos vo-
bis nuncupem ingenii mei fœtus movear etiam
Nobilissimo , quo in Civitate Gerundensi fulge-
tis Magistratu ; quem quidem , tanta cum lau-
de geritis , tantoque cum virtutum Comitatu ;
ut ex vobis major accrescat muneri dignitas ,
quam ex muneric splendore dignitatem sumatis.
Has itaque Studiorum meorum primicias pro
vestra humanitate benignè accipite , non solum
ut grati mei animi testimonium sed etiam tam-
quam perpetuæ meæ , in vos observantiæ monu-
mentum id si feceritis , & tam me vobis maxi-
mè devinctum novo beneficio obligabis ; & ad
majorem deinceps aggredienda stimulos addetis.
Valete Nobilissimi Consules & omnium bono-
rum cumulo æternum fruimini. Ita Deum Op-
timum Maximum precatur.

Humilissimus obsequientissimus
& devotissimus Servus ,
LAURENTIUS CLAVILLART.



DE IRA NOXA ATQUE EJUS UTILITATE EXERCITATIO PHISICO - MEDICA PROLUSIO.



NIMI inter pathemata , quæ teterimis , ac curatu difficilimis obnoxium reddunt morbis hominem , haud est ira tanquam minus potens existimanda. Ejus modi igitur animi passionis gratiâ cum liquida ob declinationem à recto cursus ordine stasim facile concipient hoc viscere , vel in illo , multis non potest non dari ansa affectionibus.

Certum adeo id fit quotidie ab experientiâ , ut huic suadendæ rei minimè mihi videatur esse opus in Apricum adducere observationes Amati , Zacuti , Benivensi , Horstii , Thoneri , Anhorne , & Borelli. Ve-

rum enim verò noxios iracundiae effectus ita verbis amplificavit Gressius in sua de animi passionibus Dissertatione ut ex eādem nec quidquam emolumenti nobis esse spectandum fermè appareat. Consultius de hocce argumento sermonem fecit Josephus Quercetanus, ut manifestum fiet cui evolvere lubeat tractatum cui titulus est *Diæteticon Polysthoricon*. Hujusmodi enim Author quamquam horridas offerat iræ descriptiones ex Seneca & Plutarcho qui inter Philosophos morales melius de hâc egerunt materie, desumptas, iræ tamen rectâ methodo varias proponit species, atque diversa earumdem circa noxam & utilitatem exhibit monita. Qua propter mihi sedulò consideranti non inutile futurum fuisse morbidos ab ira orientes effectus ut & illius utilitatem pluribus vincendis morbis præsentaneam explicare, in mentem subiit hancce scribere opellam.

Hæc fuerant, fateor, plectro meliore canenda :

Hoc opus ingenii, quippè senilis erat.

Sum tamen hæc ausus bis decem & quator annis;

Dum ea labuntur lustra, tradente Dea.

S. PRIMUS.

De ira tractaturus, opræ præmium duxi

illius æthiologiam proponere. Explanatâ erago iræ indole , facili negotio qui rerum medicarum notitia est vel leviter imbutus capere potest , quare iram magna adeo æconomiae animalis functionum turba , tamque gravia exinde orta symptomata sequantur. Affectum itaque esse iram vitæ ac hominis sanitati noxium maximè , ex idea nascentem præsentis mali , quod animus odio habet , quodque vim veluti comparans omni conatu amovere nititur , & amoliri , unde spiritum , atque cruoris commotio extrorsum à centro ad circumferentiam ingenti tumultu perficitur , probè edoctus à Clarissimo Friderico Hoffmanno sustinere mihi est animus Alias qui cupit iræ curiosas æthiologias consulere potest magnum illud & à Gallis , & ab Italis veneratum rethorices oraculum , Emmanuel Martinum dico , immortale Academiæ Valentinæ ornamentum in sua Peripaton , sive de animi passionibus librum.

Ex allatâ nuper iræ descriptione , omnibus cognoscere dabitur quod ejus genii sit iracundia ut vehementiori partium nervoso muscularium constrictione universas fisthematis nervosi partes celeriter maximè commoveat , atque systolicum cordis motum , eiqueriorum vasorum , ut & tonum partium itidem fibrosarum in universâ machina

mirabilem in modum augeat. Clare & evidenter id , sanguinis videlicet , & liquidi nervosi motum impetuosiorem , testantur ea , quæ in ira percitis videre conceditur phœnomena. Facies igitur in iracundiæ paroxysmo inflata apparet , atque oculorum ferocia & rubedo ; in partibus sentitur tremor , respiratio adaugetur , pulsus vehementior exsistit , mens à statu suo dejicitur.

Vis uno brevius complectar ut omnia verbo.

Omnia ea animadvertuntur , quæ sanguinem celerrimè & maximo cum impetu è centro ad externum corporis habitum moveri abundè persuadet. Hinc cognoscere facile est quod tametsi plures sint quæ oriri queant ex irâ affectiones , nonnullis magis quam aliis sint tamen iracundi obnoxii. Cum enim sanguinea massa , haud eadem semper celeritate , præsertim si viscosus & tenax sit , aut tubuli corporis angusti , pergere & revahi potest per venas , sæpè numero in tubulosa partium solidarum , vel viscerum substantia restitat & affectus parit inflammatorios periculosissimos.

Non alia sanè est ratio , cur qui irâ corriuntur vehementiori detineantur quandoque pleuritide , peripneumoniâ , ventriculi , he-

patis , ac intestinorum , quod Herniosis maximè contingit , inflammatione. Erispelate infestari etiam crebrò Cachochimicos , Scorbuticos , atque obesos nullus est qui ignoret. Ex practicorum præterea observatis constat nihil velociter magis præstare posse occasionem , febribus acutis , biliosis , intermittentibus , sinochis atque inflammatoriis quam vehementiorem iram. Deinceps ira spastica partium quâ agit constrictione vim suam in ventriculum exerit præcipue , & intestina veluti partes valdè nerveas & membranaceas , undè tanto sæviora nascuntur symptomata , quanto major est ventriculi & intestinalium , cum aliis partibus nervosis & toto fermè corpore consensus.

Præcipua vero similiter iracundiæ vis est in ductus biliarios , & hepaticos. Illorum quippe violentiori constrictione facili negotio hepar fit schirrosum , imo interdum calculi in biliosa cystide , ac ductibus fælleis gignuntur. Hujusmodi profectò affectionibus alia vix est origo ; quâm impeditus liber motus ex explicatâ nuper spasmodicâ intensiori constrictione. Contingit id potissimum ex suppressa irâ , ubi nimicum cupidæ non adest vindictæ occasio , aut tristitia una cum metu conjungitur. Stricturæ itidem biliosorum ductuum ratione aperitur non rarò aditus

morbo regio , qui facile temporis postea successu calculosæ concretioni in fællea vesicâ dat ansam.

Interea quidem bilis iracundiæ causa commovetur vehementius , majorique copia in duodenum , & ventriculum ex cysticis & biliariis ductibus effunditur. Per ipsius ibidem conceptam stasim & comparatam perdiuturniorem moram acredinem nauseæ , vomitiones , diarrhœæ , colericæ passiones , cephalalgiæ , præcordiorum anxietates suscitantur.

Ex eodem fonte nascitur peculiare illud irâ correptorum symptomata , quod in latere scilicet dextro sub cordis scrobiculo sufferrant dolorem quemdam constrictivum , oris amaritudine sæpè stipatum. Non ab alia trahunt etiam ortum causâ hujusmodi pathemata quam à bilis motu ejusque in intestina impetuosiori , dum ductus biliosii nerveis ac musculosis conflati tunicis , ab influxu spirituosi liquidi in nervis contenti citiori , nimis compressi , magnam bilis copiam exonerant , & in duodenum effundunt , unde pendet proclivitas ad vomitum , & diarrhœam , quam Hildanus centuria 7^â observatione 19. observavit dum asserit : sic alvum laxatam fuisse ab irâ , veluti si medicamentum purgans fuisset sumptum. Insuper quo major est liquido bilioso acredo , ma-

jorqe à nativo suo statu recessus , eo major est noxa quæ ab illo producitur & periculosiora quæ eamdem sequuntur simptomata. Hinc ob nimiam fluidi fællei acredinem , ipsiusque in intestina effusionem ventriculi erosionem lentâ stipatam febre adnotarunt Glolius in suis de animi pathematis meditationibus pag. 96. & Grinckerius Dissertat. de bile pag. 84. Tanta est iracundiæ vis ! tanta ejusdem potestas ! ob vividiorem , demum partium nervearum & fluidarum ab irâ factum motum , sive spasmus , liquidorum massâ ; sanguinis præsertim copiosè magis , majorique impetu ad non nullas partes pellitur , unde accidit ut eæ immodicè distendantur , atque venarum per easdem disseminatarum contingat aperio. Constat experientiâ practicâ iracundiæ maximam esse facultatem enormes cruoris effusiones , sive per venas ani , atque in foeminis per uterus producendi , in assuetis præcipue , & quibus talis est dispositio , ut hujusmodi infestentur affectionibus. Ita si quisque à juventutis initio narium hæmorrhagiis fuit obnoxius , eum accedente irâ , vehementiori præsertim , incidere in eamdem posse timendum est. Cui igitur vide re facile fuit ab invadente irâ faciem rubore subfundi , atque capitales venas , frontis præ-

sertim mirè intumescere , & quandoque etiam
 sanguinem ex naribus copiosè manare. Pa-
 riter notavimus mulieres ab iræ affectu in
 uterinas hæmorrhagias collapsas , vel etiam
 hæmorrhagiis narium fuisse tentatas. Hujus-
 modi mihi videtur ratio quare qui in ætate
 senili sunt constituti , & quibus plèthora
 adest , affectu aliquo soporoso , vel apoplexia
 præcipue sanguinea affligantur præsertim si
 ardenti maximè corripiantur irâ. Porro apo-
 plexia fortis si sit , morbus est læthalis. San-
 guinea in primis quæ ex ruptis in capite
 arteriolis & inde proveniente extravasatione ,
 crux circuitum , & spirituum impedien-
 te influxum ; originem dicit. Ante omnia
 cavendum est ut vulnerati , & quidem ii ,
 quibus aliqua adest in capite læsio , iram
 fugiant. Alter graves mox inflammationes
 patitur pars læsa ut adnotavit Gregorius
 Horstius pag. 406. maniæ aditum pandit
 quoque iracundiæ affectus , testantibus id
 actis Academiæ naturæ curiosorum anni 1724.
 Meritò igitur Cato , Seneca , & alii ex anti-
 quis doceunt insaniæ maximè ardentem iram
 esse principium , quod forte dixerunt , quia
 in vultu irâ correptorum oculorum ferocia ,
 maniâ laborantium individua ferè comes ,
 ut innuimus , observatur.

9
§. SECUNDUS.

Delibatis iis, quæ circa affectus, qui ex hâc animi passione ortum trahunt, dicta manent, haud superva caneum erit nonnulla adjicere ad præservationem spectantia incommodorum, quæ iram sæpè numero, si ea vehementior fuerit pressopede insequuntur. Sapientis hâc in occasione medici est, ut spasmodicam affectionem ventriculum afflgentem & duodenum, quovis modo læniat ac demulceat, cruoris massam in circulum æquabilem reddat, & acrimoniam eorumdem, si quæ est, corrigat. Presentaneæ erunt utilitatis in hoc casu herbarum exempli gratiâ Veronicæ, Scordii, florum Sambuci, Bellidis, Chamomillæ vulgaris & romanæ infusa. Non levis quoque erunt fructus pulveres Bezoardici, nitro addito & cinnaberi, vel etiam nitrum solum cum pauxillo camphoræ. Hinc mixtura illa Hoffmanniana, *Dissertatione de Medicina emetica sive purganti post iram veneno & aliis in locis proposita auxiliorum nulli est pro præservandis inflammationibus, ut & pro iisdem curandis, secunda. Iracundiæ si causa immodica biliosi liquidi copia fuit ad intestinorum regionem effusa, tunc maximam affert ægrotanti utilitatem pulvis ex rhabarbaro, nitro, & can-*

crorum lapidibus compositus. Hujuscē autem generis remedio non solum biliosa acredo mitigatur, & vincitur, sed ingenti naturae levamine blandè bilis educitur. Dictis quæ manent præsydiis addere potest etiam quisque magnesiam albam ritè factam, cui nondum virtus adest bilis retundendæ acrimoniæ, sed & leviter etiam evacuandæ.

Stomachi, si ad sit imbecillitas, ut crebrò contingit irâ correptis, addi poterit corticum aurantiorum probè præparata ellenzia, Elixir stomachale regiæ Pharmacopeæ Matritensis, vel clarissimi Hoffmani mixtum unacum, guttulis aliquot liquoris ipsius mineralis, quem ritè ac methodo ut dicam Hoffmanniana elaboratum, inveniet quilibet in Pharmacopoleo D. Josephi Hortega Regiæ Matritensis Academiæ Medicæ à secretis. Inter remedia tandem quæ sanguinis fervorem ex irâ provenientem compescere, ut & inflammationem præservare, vel jam factam curare valent; poni meritò meretur venæ sectio, quæ exquavis tametsi corporis humani parte fiat multum afferet utilitatis, dummodo opportunò celebretur tempore, nam ut dicebat fulmonensis Poëta.

*Temporibus Medicinæ valet, dato tempore profunt,
Et data non apto tempore viña nocent.*

II
§. TERTIUS.

Nullum in rerum offendit natura sævum adeò venenum ex quo aliquid haud queat de promi uni vel alio medendo morbo emolumenti asseruit Doctissimus Blescki in suo *Chimiæ tractatu*. Hinc nemo mirari potest , quod tametsi teterrimos ac curatu difficilimos ex irâ nasci affectus , hucusque probaverim , præsentaneam ipsius nonnullis depellendis affectionibus coner itidem demonsticare. Iracundia igitur potest saltem homines morti minus tradere quam illa animi passio hoc mirandum videtur , quæ gaudium appellatur. Id subolfecisse mihi apparet medicorum sui temporis Principem Claudiu[m] , Galenum , cum lib. 2. de symptomatum causis cap. 2. ait : *ira numquam quemquam esse mortuum , gaudio autem non paucos.*

In gaudio ergo maximè ingenti spiritus dissipantur , ac cor vi motrice destitutum sincopem patitur. Sed tamen hic notare operæ prætium est , Authoris nuper laudati verba non de omnibus individuis , sive in rigore esse accipienda. Persuadet enim ratio id tantum modo accidere iis qui corpore & animo sunt mollioribus prædicti. Iracundiae tamen affectus causa cum spirituum robur haud dissolvatur sive deperdatur , sed po-

tius adaugeatur, ut irâ correptorum pulsus testatur, hinc nullus subito hanc propter rationem vitam cum morte commutat. Quid experientia immo & magni illius medicorum Romuli, numquam satis laudati Hippocratis authoritas suadent, iis, quibus pituitosum ut Antiquorum more loquar, est temperamentum, vel paralysi laborant, saepissimus. iram prodesse. Eadem enim superveniente, solidis deperditum oscillatorium motum comparare datur, liquidisque vivi dior carius conceditur, quae omnia non utilia maximè non esse possunt pituitosis & paralysi laborantibus, ut debilis adaugeatur ipsorum calor.

Consultò igitur Clarissimus Clauderus iræ utilitatem in observat. 196. Decur. II. ann. 5. commendavit. Irām quod attinet, dicit, tum alios, tum meipsum Praxis docuit Personarum in ætate senili constitutarum, iræ medio, balsamum vitale quodammodo reviviscere, & in actum reduci cum ita mucosa phlegmatis visciditas illum quasi suffocans ventiletur, & naturalis calor senum sit æquiparandus lapidi pyriti scintillas igneas non nisi ferro fortiter percusso spargenti & communicanti. Verum nota, quod hujusmodi incandescens modica & non extra modum lenior, neque frequens esse debet: ali-

er facili negotio extinguetur subito ; quæ
am ad occasum ruit flammula. Hujusce sunt
profecto loci propria carmina illa.

*Est modus in rebus , sunt certi denique fines ,
Quos ultiro citroque nequit consistere rectum.*

Iracundiæ etiam emolumentum aphonix
passim vincendæ mirari , cuique fas est. Cui
d videre hucusque minimè accidit , perlus-
rare poterit acta Academiæ naturæ curio-
rum , ubi de hoc argumento observatio-
nes affatim offendet. Hujusmodi enim phæ-
nomeni ratio lippis & tonsoribus est nota.
Per magis ergo abundantem succi nervei iræ
gratiâ excitatum fluxum in partes quæ obe-
undis loquelæ muniis sunt destinatæ , im-
pedimenta , quibus illæ obruebantur , eva-
nescunt.

Nec minùs obvia est iis , qui naturæ mo-
tus sedulò contemplantur , iræ virtus affec-
tibus soporosis debellandis. Id luce meri-
diana clarius fiet , cui lubeat asserere affec-
tiones soporosas à præternaturali cerebri fi-
brarum laxitate , atque liquidi præcipue
nervosi exinde stagnatione oriri , ut admit-
tunt nonnulli , inter quos mihi placet tan-
tummodo unum pro multis in apricum ad-
ducere celeberrimum è scilicet D. Andream

Piquerium in Academia Valentina Professo-
rem Anatomes Emeritum. Sanè id quod fre-
quenter observatur est , eos qui vividi sunt ,
atque quibus robustum est sisthema nervoso
fibrosum , paucō somno contentos vivere ;
è contra vero iis quibus fibræ flaccidæ sunt
& exigua vivacitate præditi , maxima est , ad
somnum proclivitas. Ex his deducitur clare
quod cum per iracundiæ affectum ex susci-
tentur solidorum deperditæ fermè oscillatio-
nes , quārum ope in eisdem impactæ fluidi
nervei particulæ dividentur , terentur non
potest non esse maximi fructus ira soporosis
vincendis ægritudinibus. Mihi conscius sum
lethargum quandoque phrenitidi superveni-
re , in quo casu nedum non utilitatis , verum
etiam damni futurām esse iram existimo.
Hinc hujusmodi animi passionem tantum-
modo esse commodam morbis soporosis de-
bellandis , qui ab explicatâ nuper oriuntur
causâ , non vero qui affectus in sequuntur
inflamatorios conjicio.

FINIS.

